

HENRICUS BOELAARS

R.MUS P. LEONARDUS BUIJS,
CULTOR THEOLOGIAE MORALIS ET PASTORALIS

In primo huius periodici fasciculo scriptum est de vita et actis R.mi P.is Buijs, speciatim de actuositate eius ut Superior generalis Instituti nostri (1). De opere tamen eius scientifico per pauca dicta sunt. Hanc lacunam complere desiderantes, nobis proposuimus eius ingenii effigiem verbis exprimere eiusque in scientiis theologiae moralis et pastoralis labore et valorem delineare. Quod opus tribus capitibus perficere conabimur, quorum primum brevem de eius theologica institutione prolusionem continet, alterum Patrem Buijs exhibebit theologum moralem imbutum sollicita cura animarum, tertium tandem pastorem animarum perfusum sacra doctrina. In scriptis autem eius exponendis paulo diutius immorari liceat opinionibus ab eo prolatiis, quas in hodierinis disputationibus theologiae moralis et pastoralis maioris utilitatis esse putamus.

I. - DE THEOLOGICA INSTITUTIONE LEONARDI BUIJS

Votis religiosis nuncupatis die 29 septembris 1916, studia philosophica in collegio Wittem (in Hollandia) incepit, quae mox eius indolem mentis speculativam demonstrabant. Sacrae doctrinae dum incumbebat dogmatica potius quam morali niti visus est, ut scriptiones eius hisce annis elucubratae ostendunt. Optimis tamen in hac theologiae parte magistris frui licebat, Ludovico Wouters (1918, per breve tempus), Cornelio Damen (1919-1921) et Gulielmo Duijnste (1921-22). Propter speculativum ingenii modum philosophiae studiis a superioribus destinatus, Romae in Pontificio Instituto « Angelicum » post annum licentiam obtinuit (die 1° iulii 1923). Qua adepta, sua sponte theologiae studium

(1) *In piam memoriam R.mi Patris Generalis L. Buijs: Spicilegium historicum CSSR*
x (1953) 11-58

praeparandae laureae in philosophia adiunxit, ita ut die 14 nov. 1924 examen licentiae in theologia expleret ac die 21 eiusdem mensis et anni philosophiae doctoratus periculum subiret. Tandem die 27 iunii anni 1925 s. theologiae lauream sibi comparavit. Subiectum theseos satis superque contemplativum mentis et studiorum cursum demonstrat. Prima enim pars, quam ad obtainendam lauream in philosophia exhibuit, inscribitur : *De objecto formalí proprio intellectus humani*, altera autem, ad adipiscendum theologiae doctoratum oblata, agit : *De potentia obedientiali creaturae rationalis ad vitam supernaturalem clarae Dei visionis*. Hisce praesertim annis intimam cognitionem *Summae Theologicae* Divi Thomae acquisivit, quae in docendo ac scribendo mire ei praestofuit. Hanc legit re legitque, Caietani commentariis immoravit. Maxime autem delectabatur operibus philosophicis et theologicis Joannis a S. Thoma, cuius speculativa indoles apprime ingenio eius congruebat. Quae studia textus et commentariorum Sancti Thomae per annos 1925-1927, quibus Romae commorari perrexit post peracta studia, gnaviter prosecutus est. Hisce enim annis patri Cornelio Damen, in Athenaeo Pontificio de Prop. Fide theologiae moralis professori, adfuit in paranda nova editione, undecima nempe, *Theologiae moralis* Patris Jos. Aerntijs. Quare cl. Damen in praefatione Leonardo Buijs, « qui in hac editione accuranda et perficienda validissimus et solertissimus laborum socius exstitit » (2), gratias egit. Tales labores summis problematis theologiae moralis, methodo casuistico, variis quaestionibus iuris canonici eum imbuerunt. In elenco « materiarum in hac editione XI aut primo tractatarum aut novo modo redactarum », quaedam huius collaborationis vestigia observare licet, longe autem plura in parvis mutationibus quae innumeris locis in XI^a, XII^a et XIII^a editionibus invecta sunt. Non tamen omnes quas sibi studiis paravit opiniones in hoc manuale introducere potuit, immo veram theologicam vitae christiana effigiem, quam gravi labore hoc tempore quaerebat, imperfecte tantum et incomplete in manublibus usu receptis exprimi posse conquerebatur. Theologicam dico vitae christiana effigiem, quam convenienter ingenio suo speculativo et parum positivo, ut hodie aiunt, praesertim scholastice elaboravit.

Ne tamen eum mere deductivum et syntheticum theologum putaveris, qui pulchrum systema apicem scientiae theologiae

(2) J. AERTNIJS-C. DAMEN, *Theologia moralis* I, ed. 11^a, Torino 1928, p. VIII; similia adiumenta et in parandis ulterioribus duobus editionibus praebuit, cfr. ed. 12^a, Torino 1932, p. VIII; ed. 13^a, Torino 1939, p. X.

consideraret. Maximi fecit studium Ecclesiae documentorum et fontium revelationis. DENZINGER, CAVALLERA, *Collectanea de Prop. Fide* assidue manibus evolvebat. Pontificia documenta, inter quae encyclicas *Casti connubii*, *Divini illius Magistri*, *Quadragesimo anno*, *Mit brennender Sorge*, *Divini Redemptoris*, *Mystici Corporis Christi* et *Mediator Dei* p[re]e omnibus illi familiaria erant, tamquam fundamenta scientiae suae theologicae habebat. Sacram Scripturam quotidie legebat, Sancti Pauli epistolas meditabatur et paulinam Domni Columbae Marmion spiritualem doctrinam amabat. Exegetae autem modum cogitandi non possidebat. Eius non erat hagiographi mentem patienter laborioseque investigare, sed bono commentario usus, textus Sacrae Scripturae tamquam lapides angulares theologico aedificio inserere. In omnibus scriptis ephemeridum passim Sacram Scripturam apposite citat secundum sensum critice stabilitum, non tamen analysi exegetica ad fontes redire indeque hodiernum vitae christianaee conceptum irrigare et fecundare conatur. Non « novam theologiam » nondum exortam professus est, sed in campo morali eximius cultor fuit illius classicae, quae hodiernum Ecclesiae intellectum mysteriorum revelatorum Magisterio Eiusdem expressum e revelationis fontibus erutum ostendere et « aliquam mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequi, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo » (3) conatur.

Minus forse quam Sacrae Scripturae, Patrum cognitioni operam dedit. Plura S. Augustini, S. Joannis Chrysostomi, S. Hieronymi opera legit. Historico tamen mentis habitu fere caruit, nec aliter eorum libris usus est quam ut videret et monstraret hodiernam Ecclesiae doctrinam ab iis iam teneri. Quare de « reditu ad fontes » aliquorum theologorum gallorum recentium aliquando dixit: quamdiu cultores huius novae theologiae scholasticam calent, recte procedent, sed timeo eorum discipulis qui tali institutione carebunt.

Peractis efformationis annis, Roma in patriam reversus, pluribus missionibus more patrum juniorum confessarius et brevium adhortationum concionator interfuit. Mox per complures menses paroeciae cuiusdam, morte parochi subitanea vacantis et propter vicarii morbum pastore orbatae, curam sustinuit. Ubi se vera pastorali sollicitudine et clara praxis pastoralis exigentiarum intel-

(3) *Conc. Vat. Sess. III, Constit. de fide cath. c.4.* DENZ. 1796.

ligentia praeditum ostendit brevique tempore, acri qua erat mente, magnam congregavit experientiam pastoralem. Nec umquam postea intermisit praxis pastoralis particeps esse, tradendo exercitia spiritualia, confessiones audiendo, animas dirigendo, consulentibus respondendo, assistentias varias praebendo.

Anno 1928 in studentatu Wittemensi sociologiam et oeconomiam socialem docere incepit. Cuius scientiae, quam per 3 tantum annos tradere ei licuit, quaestiones diligentiam eius sollicitare perrexerunt. « Primam meam amasiam » hanc vocare solebat. In ducendo tractatu de iustitia, in orationibus coram associationibus socialibus habitis, in « Casibus practicis », quorum solutiones publicavit praesertim in commentario *Nederlandse Katholieke Stemmen*, erudite de morali prospectu eorum, quae ad harum scientiarum provinciam pertinent, disseruit. Non hodie nos tantum auctores, sed classicos tractatus post-tridentinorum theologorum, Laymanni, Molinae, Castri-Palai, Lugonis, Bannesii aliorumque perlegit, ut ex iis, qui hodiernae oeconomiae initia viderunt, principia solutionum hauriret. Serio proposita agitata sunt inter Patrem Buijs et cl. M. J. Cobbenhagen (1893-1954), professorem oeconomiae generalis et historiae oeconomiae in Academia oeconomiae catholica in civitate Tilburg existente, ut collatis laboribus opus de « morali commercii » publici iuris facerent. Quae tamen proposita, temporum adversitatibus pressi aliisque curis distenti, exsequi non potuerunt.

Omnibus modis propterea optime paratus, anno 1930 theologiae moralis cathedram in collegio Wittemensi ascendit, eam usque ad finem anni 1945 habiturus. Cui ab anno 1933 adiunxit munus professoris theologiae pastoralis et ab anno 1936 theologiae quoque spiritualis, quae duo usque ad mensem iulium anni 1946 retinuit.

Initio anni 1936 in se suscepit partem quam sodales CSSR inde a principio habuerunt in edendo periodico theologicopastorali : *Nederlandse Katholieke Stemmen*, quam retinuit donec electus est in Superiorem generalem et Rectorem Maiorem Congregationis SS. Redemptoris die 30 aprilis 1947.

II. - PATER BUIJS THEOLOGUS MORALIS IMBUTUS SOLLICITA CURA ANIMARUM.

Inde ab initio nota propria totius eius actionis erat coniugium inter theogiam et curam animarum. Intuentes labores eius in provincia moralis theologiae videbimus, eum in considerandis summis quaestionibus doctrinae vitam christianam spectantis sem-

per ad rationem et necessitates curae animarum se dirigere (1.-), in seligendis autem iis quibus specialiter intenderet ab exigentiis pastoralibus puncti temporis praesentis determinari (2.-).

1.- S. Patris et Doctoris Alfonsi, qui in praefatione suaee *Theologiae moralis* fatetur, se in omnibus viam medium salutis et veritatis quaequivisse (4), vestigiis inhaerens, P. Buijs docebat et scribebat de theologia morali tamquam doctrina salutis, apostolico motus spiritu; nihil tamen de via et ratione scientiae pervestigationis deflectens. Persuasum enim habebat, opinionem ad theologiae scientiae tramitem perfectissime elaboratam simul maxime salutarem esse.

Clarent haec in eius de natura theologiae moralis doctrina, quam breviter anno 1936 (5) manualia usualia diiudicans expostam, ample elaboravit in scriptione: *De theologia morali et sermone montano* anni 1944 (6). Theologia moralis habenda est scientia radix totius doctrinae vitam christianam spectantis. Exigit propterea ut theologia moralis de universa doctrina morali evangelica theoretice agat, inclusis quaestionibus speculativis de perfectione christiana ponendis. Rationem duplicem assignat, quarum prima est: tam obiectum quam principia eadem esse et remanere in omni de vita christiana consideratione, altera autem: vitam christianam natura sua dicere quandam plenitudinem et perfectiōnem gratiae, cui perfectio quaedam virtutis respondeat, necesse est. Quamdiu autem manualia theologiam moralem a spirituali theologia separant, saltem admittendum putat, ut unus idemque professor utramque doceat. Quod et ipse, ut diximus, per decem annos egit. Quamvis pauca omnino de theologia spirituali publici juris fecerit, plurimum in eam insudavit lectionumque fragmenta, quae desiderium cursus completi ingerunt, manuali prelo exarata et discipulis distributa reliquit.

Nullibi tamen ipse conspectum universae materiae theologiae moralis secundum suum modum hanc scientiam concipiendi dispositum publici iuris fecit. Talis autem conspectus adumbratio summaque lineamenta erui possunt ex compagine et ordine tractatorum in 3^a parte operis Mgris G.P.J. van der Burg: *Missio canonica III, de leer van het christelijk leven* (doctrina de vita christia-

(4) Cfr *Praefatio S. Alphonsi ad lectorem*, ed. GAUDÉ I, Romae 1905, p. LV et LVI.

(5) *Kroniek der moraaltheologie* [Chronica theologiae moralis] I: *Nederlandse Katholieke Stemmen* 36 (1936) 83ss.

(6) *Onze moraaltheologie en de bergrede: Theologische opstellen opgedragen en aangeboden aan Mgr Dr G. C. van Noort* [Commentaria theologica dedicata et oblata Mgri Dri G. C. van Noort], Utrecht 1944, 34-59.

na). Paucis enim exceptis, huius operis dispositio ordinem a P. Buijs exaratum sequitur (7). Quaedam specimina eius modi considerandi reperiuntur in *Encyclopedie Catholica* (neerlandica), in qua vocabulis de materiis theologiae moralis tractandis praefuit, eorumque complura ipse tractavit. Inibi scribens de dolo (*Bedrog*, IV 222-224), de collocatione pecuniae (*Belegging*, IV 398), de moralitate operationum bursae (*Beursmoraal*, IV 831), de furto (*Diefstal*, IX 10), de simplicitate (*Eenvoud*, IX 757/8), de benignitate (*Mildheid*, XVII 652) et liberalitate (*Vrijgevigheid*, XXIII 730/1), de oblectatione, relaxatione (*Gezellig leven*, XI 761-3) et de ludo (*Spel*, XXI 789), de sollicitudine (*Zorgzaamheid*, XXIV 652/3), de dilectione inimicorum (*Vijanden liefhebben*, XXIII 751/2) cet., uno contextu tractat ea quae sunt de pracepto et quae de consilio sunt, subili discrimine et aequa ponderatione uniuscuiusque materiae in christiana vita valorem perpendens.

Fortiter etiam vindicavit, theologia moralis universam de moribus doctrinam et proinde naturalem quoque ethicam comprehendere. Quam thesin in scriptione supra laudata de theologia morali et de sermone montano confirmat, eo quod haec scientia tractat de directione vitae in finem ultimum, Deum, proptereaque integrum legem vitae aeternae complecti debet. Immo, sola theologia de lege naturali tractare potest, quia lex naturalis, ut pertinens ad legem vitae aeternae, in solo lumine revelationis plene cognosci potest, sicut etiam tantum in virtute gratiae excoli potest. Monet exinde theologos ut caveant « puritanismum evangelicum », qui legis naturalis considerationem e theologia morali excludere vellet. Simul cavet de evitando « puritanismo theologico », qui disputationes philosophico-ethicas ab ea removere intendat. Haec enim pleno iure retinentur, quia ratio propria normarum ethicarum valorem suum in vita morali supernaturali conservat. « Sane ex eo quod homo elevatus est in ordinem supernaturalem fieri potest, ut normae, quoad id quod continent identicae, sensum quoque altiorem obtineant — ita v.c. normae castitatis ex eo quod, cum anima hominis iustificati sit templum Spiritus Sancti, corpus sub quodam respectu in animae sanctitate participat —; patet vero illum sensum theologia morali explicandum esse » (8). Sed etiam

(7) G. P. J. VAN DER BURG, *Missio canonica III*, Voorhout [1947]. Cfr praecipue Indicem rerum tractatarum pp. 567-582. Dispositio huius Indicis (et libri) in hoc praecipue differt a dispositione a Patre Buijs proposita, quod doctrina de magno caritatis pracepto e libro II (nunc III) desumpta, tamquam liber I universae de vita christiana explicatione praeposita fuit. Quam mutationem P. Buijs libenter approbavit.

(8) Cfr supra nota 6, p. 43.

ratio iuris naturalis, ratio philosophico-ethica, scil. luxuriam esse actum deordinatum contra bonum generationis, ad theologiam pertinet, quamvis lumine altiori diiudicanda. - Unde notat mirum non esse, quidam tractatus theologiae moralis (v.g. de actu humano, de legibus, de conscientia, de virtutibus acquisitis, de iure et iustitia) multis philosophicis disputationibus subtexi (9).

Dein insistit, theologiam moralem oportere casuisticam esse. Cum enim sit scientia practica, partes theoretico-practicam et practico-practicam habeat necesse est. « In hac autem principia generalia et conclusiones continuantur ope regularum, aestimationum cet., quae ipsius vitae varias vicissitudines attingere aliquatenus possunt. In hac quoque eas quas aliae scientiae, iuridicae, medicae, psychologicae, sociales, oeconomicae cet. acquisiverunt cognitiones, theologia moralis sibi assumit. Casuistica in confiniis ipsius scientiae moralis et iudicii conscientiae spatiatur, cuius methodus non est stricte scientifica sed prudentialis (innitens partibus integrantibus prudentiae), cuique proprium est non certitudine scientifica sed probabilitate gaudere. Non est scientia proprie dicta sed disciplina practica, quam Pater Garrigou-Lagrange acute partem potentialem theologiae moralis vocavit » (10). Theologia moralis christiana indiget casuistica, quia principia et conclusiones generales vitae casibus applicari nequeunt, nisi omnia quae actum componunt omnesque circumstantiae diligenti analysi subiificantur, simul autem omnes principiorum inter se nexus accurate considerentur. Sine casuistica perite exercita, incidimus in rigorismum vel in laxismum; utroque autem modo doctrina moralis auctoritatem vitae moderandae amittit (11).

Pericula casuisticae optime novit; acute videt illa ob indolem practico-practicam manualium ingravescere. Proinde insistit in sobrietatem et in connexionem casuisticam inter et systematicam partes theologiae moralis.

De theologia morali kerygmatica, de theologia morali Mystici Corporis Christi, de « principio » theologiae moralis (Das Prinzip der Moral) paucis tantum dixit, recte dicta ab amplificatis discernens (12).

(9) Cfr *Verslag van de eerste algemeene vergadering der Vereeniging voor Thomistische Wijsbegeerte* [Relatio primae congregationis unionis philosophiae thomisticae promovendae], Nijmegen 1934, 79.

(10) Nederlandse Katholieke Stemmen 39 (1939) 161-162.

(11) De Katholieke Encyclopedie [Encyclopaedia catholica] VII (1934) 114-117 s.v. Casuistik [Casuistica].

(12) Ned. Kath. Stemmen 39 (1939) 164-167 et alibi per transennam.

Ius canonicum a theologia morali stricte discrevit, quamquam haec illo saepius uti debere in casibus solvendis, illudque aliquo modo theologiae coniungi agnovit. Admodum pauca de iure canonico scripsit (13). Institutionem vero superiorem « doctrinae moralis perspicue a sacrorum canonum doctrina separandam esse eique theologicam notam clare imprimendam » edixit (14).

Sollicitudo Patris Buijs, quae ex his quae exposuimus patet, ne theologia moralis detrimentum patiatur in his quae vitae christiana moderamen subministrant et ut quam plenissime huius moderamen exsequi possit, spiritum eius apostolicum demonstrat, eo tendentem ut scientia theologica quam maxime salutaris exsistat.

Postquam breviter eius de natura theologia moralis opinionem explicavimus, de illius obiecto, de vita scil. christiana, quedam attingamus.

Summa lineamenta effigiei, quam de vita christiana sibi efformaverat, quattuor sententiis mihi exprimi posse videntur.

Quarum prima est: « Christianismus est religio quaedam, quae *habet* doctrinam et morum disciplinam » (15). Est enim participatio religionis Christi, cuius vitae terrestris ratio propria reperitur in satisfactione Deo Patri offerenda per sacrificium, e reverentiali subiectione, devotione et caritate procedens. Propterea vita christiana principaliter constituitur interna deditio religiosa fidei, spei et caritatis; exercetur autem primarie tam publico quam privato cultu et praxi pietatis. Moralis autem disciplina in spiritu religionis, i.e. religationis cum Deo fide inceptae et caritate consummatae, peragenda est. Ex religiositate vim accipit, simul autem, purificans et pacificans animam, disponit ad incrementum religionis. Proinde supremum ministerium in cura animarum est sacerdotale seu liturgicum, ad quod ordinantur cum ministerium verbi tum regimen fidelium.

Altera fundamentalis sententia S. Petri verbis exprimitur: « ut peccatis mortui, iustitiae vivamus » (1 Petr. 2, 24). Quia vita nova hominis christiani essentialiter est e morte peccati, incipit

(13) De materia canonica scripsit: De assistentia matrimoniali: *Ned. Kath. Stemmen* 31 (1931) 339-340 et 32 (1932) 89-94; De cautionibus in mixtis nuptiis praestandis: *Ibid.* 32 (1932) 65-68; Agere patrinum per procuratorem: *Ibid.* 36 (1936) 340-344; *Acatholicus: Katholieke Encyclopedie* I (1933) 288; *Binatio: Ibid.* V (1934) 201-202.

(14) Cfr *Analecta CSSR* 23 (1951) 152.

(15) *Ned. Kath. Stemmen* 42 (1946) 18; *Verslagboek van het internationaal liturgisch congres gehouden te Maastricht 27 juli - 2 augustus 1946* [Relatio congressus liturgici internationalis diebus 27 julii ad 2 augusti anni 1946 Mosaetraiecti habitu], Maastricht/Vroenhoven [1947], 119.

a conversione et iustificatione. Quae Concilium Tridentinum docet de praeparatione ad iustificationem (16), summi valoris aestimabat P. Buijs ac in scholis fuse tractare solebat (17). Ea autem quae iustificationem praeparant, propriam indolem totius vitae christiana remanere intime ei persuasum erat, unde saepe allegabat illud Concilii Tridentini: « vita christiana perpetua poenitentia esse debet » (18). Propterea cogitatio peccati et persuasio « quia homo peccator sum » uniuscuiusque vitam et animarum curam pervadat oportet. Sacramenti Poenitentiae necessitatem et Confessionis « ex devotione » peractae utilitatem hoc ex fonte praecipue repetebat (19). Ratio salubritatis missionum internarum et primae hebdomadis exercitiorum spiritualium in eo reperiebat, quod conversionis, quae praeparat ad iustificationem totamque vitam christianam fundat, renovationem continent et efficiunt. Unde et structuram missionis e Tridentini de conversione doctrina explicavit (20).

Tertio loco ponendum est adagium quod saepe iterabat: « per fidem et sacramenta » (21), i.e. sacramenta suscipienda sunt in fide et in fidem, tali scilicet dispositione, ut gratias quam uberrimas producere possint et tali cooperatione gratiis acceptis exhibita, ut nova vita actibus bonis et optimis fructificet (22). Facile enim fit, ut minus recte intelligatur doctrina, sacramenta effectum suum ex opere operato producere, quatenus opus operantis, i.e. bona dispositio actibus fidei, spei, poenitentiae, dilectionis initialis vel caritatis negligitur, vel dispositio minima, attritionis vel status gratiae habitualis, normis probae susceptionis sacramenti consentanea habeatur. Unice fere intendentis modo causandi sacramentorum, multi obliviscuntur gratiam suscipi « secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult, et secundum propriam cuiusque dispositionem et cooperationem » (23). Omni cura procuranda est bona et perfecta dispositio interior; susceptio sacramentalis confessionis in profunda poenitentia et com-

(16) Sess. 6, capp. 5 et 6. DENZ. 797-798.

(17) Cfr etiam opus cl. VAN DER BURG in nota 7 citatum, pp. 96-111.

(18) Cfr Conc. Trid. Sess. 14, *De Extr. Unct. prologus*. DENZ. 907.

(19) *Ned. Kath. Stemmen* 38 (1938) 295-311 (Itaque ante Encyclicas *Mystici Corporis Christi et Mediator Dei*); *De praktijk van biechlen en biechthoren* [Praxis confitendi et confessiones excipiendi]. *Verslagboek van de priesterstudiedagen augustus - september 1946* [Relatio dierum studii pastoralis sacerdotibus destinatarum mensibus augusti et septembri anni 1946 habitarum], Utrecht [1947], 19.

(20) *Ministerium verbi* V (1943/44) 9-28, 120-131.

(21) Cfr *Summa Theologica* III 62, 6.

(22) *Ned. Kath. Stemmen* 41 (1941-45) 237. (23) Conc. Trid. Sess. 6 c.7. DENZ. 799.

punctione fiat, susceptio vero S. Communionis aditus sit ad Christum in osculo sancto (24). Vita etiam moralis sacramento suscepto eiusdemque gratiis propriis respondeat, contendamusque ut fide, spe, poenitentia, caritate omnes actiones nostrae informentur.

Quartam vitae christiana normam fundamentalem ponebat dictum S. Petri Damiani: « Nos utique sumus Ecclesia » (25), i. e. Ecclesia non sunt rectores tantummodo, sed est universa « gens sancta », totus « populus acquisitionis » (1 Petr. 2, 9), cuius omnia membra, tam laici quam clerici, convictu et collaboratione omnium redemptionem et sanctificationem tuentur. Unde et populus christianus suas in liturgicis actibus partes habeat et fideles omnes apostolatui Ecclesiae communicent oportet (26). Propterea et opera caritatis non singulorum tantum officia sunt, sed munera Ecclesiae propria (27). Ideo etiam provinciae profanae vitae, res familiares, culturales, oeconomicae, politicae cet., ab Ecclesia praecipue autem a membris laicis secundum Christi disciplinam procurentur, necesse est.

Profecto conceptus vitae christiana, hisce quatuor sententiis comprehensus, apprime moralis et pastoralis dicendus est; simul autem e corde sacrae theologiae depromptus. Unde videmus Patrem Buijs ex ipsis lineamentis essentialibus christianae salutis leges vitae christiana et curae animarum derivasse.

2. — Postquam ideas quasdam theologicas generales Patris Buijs breviter recensuimus earumque indolem pastoralem intelleximus, ad quaestiones quasdam speciales theologiae moralis transire liceat. Praecipue notandum mihi videtur, eum in seligendis subiectis quibus operam daret, semper a necessitatibus curae animarum motum fuisse. Quantopere speculativa fuerit mente, nullo modo materiis praesertim theoretice momentosis — uti v. g. de probabilismo et aequiprobabilismo — studium admovere voluit, e contra quaestionibus e praxi pastorali exortis et tunc temporis acriter disputatis solvendis, omni industria et toto quo erat mentis acumine nisus est.

In hisce quaestionibus recensendis ordinem sequemur in libris manualibus usitatum, qui melius quam ordo chronologicus

(24) Relatio congressus liturgici, in nota 13 citata, p. 123.

(25) Sermo 72. PL 144, 909.

(26) Opusculum: *De Katholieke Actie*, Voorhout 1946, 10ss. et passim.

(27) Scriptio: *Kerk en Caritas* [Ecclesia et Caritas]: Ned. Kath. Stemmen 41 (1941-45)

scriptionum — quem e Bibliographia didiceris — intento nostro convenit.

Ad theologiam moralem generalem pertinet problema, quod semel atque iterum tangit auctor noster in scriptioribus de materiis diversis, scil. de moribus christianis vel de honestate morum christiana. Haec quaestio pertinet ad aspectum socialem vitae moralis christiana, quae exigit ut christiani mutuam inter se unionem suamque obligationem persentiant reddendae rationis de omnibus, quae ad Regnum Dei pertinent. Actu autem perficitur non solummodo actione liturgica, magis perspecta unione communis paroecialis, apostolatu laicorum et actione catholica, caritate magis actuosa erga proximum, sed etiam concipiendo et vivendo vitam christianam quotidiam, tamquam munus communiter nobis impositum et communibus conatibus exsequendum. Non sufficit ut singuli christiani recte de vita christiana cogitent, requiriatur etiam ut communitas christianorum apud usibus et consuetudinibus vitam christianam modo naturae eius consentaneo ducat simulque individuis imbecillioribus traditionis et communitatis subsidia conferat. Triplex enim valor in moribus christianis elucet, primo ut ea quae sunt communiter pericula proxima (immo pars eorum quae remota sunt) arceantur; secundo ut prudentia maiorum statuantur modi agendi, qui e rerum natura generaliter tantum definiuntur; tertio ut splendor virtutis, nobilitas christiana, avulsio a rebus terrenis indoli sermonis montani consentanea, demonstretur. Tales consuetudines partes conscientiae collectivae agunt, homines educant, segnes ad bonum stimulant exemplo bonorum et sanctione aestimationis communis. Saepe quod legibus effici nequit, moribus perficitur.

Propterea in diiudicandis singulorum actibus non uniuscuiusque tantum salus attendenda est. Fieri potest ut actio quaedam, quae communiter occasio proxima est, in individuo talis non sit; unde quidam concludunt talem actionem tali homini non esse illicitam. Attamen omnino addendum est talia generatim etiam iis quibus de facto periculum proximum peccati non ingerunt, esse vitanda, quia moribus christianis hi actus excluduntur: « Quod multis periculosum est, omnibus est omittendum ». Virtute firmiores propter debiliores talia sibi denegare debent.

Haec morum honestas non tantum in materia castitatis et modestiae reperitur, quamvis inibi maximi habenda sit, sed etiam in consuetudinibus negotiorum, in caritate et beneficentia erga egenos, in disciplina domestica, in ludis et societatibus, in moribus

decorum sacerdotale spectantibus, in simplicitate vestitus et habitationis.

Verum quidem est, mundum nostri temporis maxima parte extra Ecclesiam eiusque auctoritatem iacentem, secundum sua elementa consuetudines informare. Attamen exinde magis requiritur, ut christiani omnes simul, non se conformando huic saeculo eiusque moribus, infirmiores fratres suos fulciant et exemplo morum christianorum, qui simul vere humani sunt, veritati testimonium exhibeant secundum illud: « sic luceat lux vestra coram hominibus ut... glorificent Patrem vestrum qui in caelis est » (Matth. 5, 16) (28).

Aliud argumentum ad moralem generalem pertinens tractavit scribens de altera editione eximii operis Fr. ter Haar CSSR, *De occasionariis et recidivis*. Rationes ab auctore prolatas et ab aliis impugnatas, quae faciunt « graviter peccare, qui sine iusta et proportionata causa se exponit periculo hic et nunc vere ac solide probabili peccandi mortaliter », forse non ultimam huius obligationis radicem attigisse putat. Suam de hac radice opinionem hisce proponit: « Homo obligatur non tantum non facere malum morale, sed positiva resistantia peccatum e vita sua arcere; in quantum moraliter sibi possibile est, peccatum praecavere debet. Ad hoc obligat caritas Dei et sui ipsius. Quae quidem obligatio non tantum, ut ita dicam, in instanti urget, in ipso nempe instanti quo de nunc peccando vel non peccando est decernendum, sed per totam vitam distenditur. Hoc enim proprium est humanae conditionis, quod homo discurrendo per vitam de bono in malum et de malo in bonum mutabilem natus est suam perfectionem adipisci (cfr I q. 65 a. 6). Possibilitas et necessitas malum vitandi vitae spatio distenta est, ergo et responsabilitas. Hinc efformatio characteris necessaria est, qua bonum promoveatur et prudentia requiritur, cuius partes integrantes sunt providentia et cautio, quibus malum arceatur. Saepius quidem diversae patent viae, quibus malum arceri possit, quo casu homo pro libitu unam praeter altera eligere potest. Ubi autem de determinato agitur periculo, quod (ubi non obstat iusta et proportionata causa) vitari potest, unicum medium quo efficaciter malum praecaveri possit, est ipsa remotio-

(28) Quaestionem ex professo tractat in *Ned. Kath. Stemmen* 40 (1940) 68-75, brevius 35 (1935) 62-63. Eam applicat quaestionibus magis particularibus: De relaxatione militum: *Mededelingen* 2 (febr. 1945) 16-24; De MARVA (de mulieribus conscribendis in classem militarem): *Ibid.* 29-34; De choreis: *Ned. Kath. Stemmen* 42 (1946) 141-147, 166-171, 206-214, ubi mitius indicat quam antea locutus fuerat in materia eiusdem generis, cfr. scriptiones citatas de relaxatione militum et de MARVA. De honestate morum in materia iustitiae infra dicemus.

periculi ». Quod vero ille qui se, sine iusta et proportionata causa, exponit periculo probabili mortaliter peccandi, graviter peccat, auctor noster ostendit ex eo, quod tali modo agens, peccatum futurum plane incertum relinquit ideoque substantiam obligationis praecavendi peccatum (in quantum moraliter ei possibile est) non exsequitur (29).

Relatis quibusdam e materia theologiae moralis generalis opinionibus, ad varias theologiae specialis quaestiones transeamus.

Ne longior fiam, in memoriam reduxisse sufficiat quae anno 1942, quo tempore Socialismus nationalis Germanorum occupatio-ne fretus immodicum corporis cultum et exercitationem propagabat, de christiano conceptu corporis ac de modestia scripsit. Notatum quoque velim eum, quamquam pauca de quaestionibus moralibus medicinam attingentibus edidit, plurimum tamen consiliis apud medicos catholicos valuisse (30).

Inter quaestiones autem graviter discussas annis 1930 ad 1940 quasdam de castitate numerandas esse omnibus notum est. Patris Buijs erat in certamen descendere ac disputationibus se immiscere.

Breviter referre liceat, quae scripsit de moralitate pollutionis, tempore pubertatis commissae (31). Postquam causas tam generales quam magis particulares frequentiae talis masturbationis, nisus peritorum psychologiae doctrinis, exposuit, quaerit quale iudicium morale de hisce actibus proferri debeat. Supposita eorum obiectiva gravitate violationis legis naturae et caritatis, subiectivam culpabilitatem certo minui deducit ex eo quod peccata carnis generatim sunt minoris culpae quam peccata spiritualia et quod peccatum solitarium plerumque est peccatum ex infirmitate, maxime autem masturbation pubertatis tempore, quo conscientia adhuc immatura est ac cognitio moralis nondum omnes animae facultates actionumque rationes imbuit. An haec culpae diminutio eo usque procedit, ut peccatum subiective grave non adsit? Certo universe affirmari nequit, peccatum subiective grave in masturbationibus tempore pubertatis commissis non haberi. Dubitari tamen nequit fieri posse, ut propter

(29) Argumentationem partim ad litteram desumpsimus ex manuscrito Patris Buijs latine exarato, quam compendiose expressam invenies in *Ned. Kath. Stemmen* 41 (1941-45) 239-240.

(30) Quod testatus est Dr. J. E. SCHULTE cum *In memoriam Dris L. Buijs CSSR* scriberet in *R.K. Artsenblad* 32 (1953) 315-316.

(31) *Sexueele moeilijkheden der rijpende en rijpere jeugd: Actueele zielzorgproblemen. Priesterstudiedagen november 1939, Utrecht [1939?]* 42-65 [Difficultates sexuales iuventutis maturantis et maturioris: Quaestiones hodiernae curae animarum. Dies studii sacerdotibus destinatae, mense nov. 1939 habitae]; idem compendiose in *Ned. Kath. Stemmen* 40 (1940) 353-364.

imbecillitatem aetatis « ex actuali inconsideratione invincibili regulae rationis » deliberatio inculpabiliter imperfecta sit et animus, facultatum aequilibrio nondum pollens, sine culpa a passione oppressatur, dum ligatur voluntas passionis impetum coercere non valens. - Quod magis urget in iis qui nevrosi alove defectu psychico laborant.

In diiudicandis vero casibus particularibus plerumque quantitas reatus subiectivi determinari non poterit. Ex universa indele morali et dispositionibus habitualibus iuvenis individui praecepue iudicium sumendum erit, nec tamen nimia securitate, quia haud raro homo (actualiter) voluntarie agit quae (habitualiter) non vult. Nullo modo tamen necesse est, ut reatum subiectivum in casu individuo definiamus, quia educatio moralis et cura animarum pollutionem pubertatis numquam ex levi habere poterit, sed strenue temperantiae acquirendae ob rationes morales et religiosas studebit. Notat tandem raro expedire, ut iuveni tali habitudini irretito, etiamsi de reatu subiective gravi in casu particulari non constet, suadeatur ut non confessus ad Sacram Communionem accedat, quia mentis conscientiaeque perturbatio generatim augebitur potius quam diminuetur.

Acrius discussum fuit hisce iisdem annis de castitate coniugali ac de continentia periodica quam dicunt.

Opus primum quod in hac materia publici juris fecit scriptio fuit vere magistralis : De matrimonio remedio concupiscentiae (32). Impossibilitas conferendi ad compendium divitias theologicas paginarum densarum, in quibus suam de munere theologiae moralis sententiam, de qua supra retulimus, fere perfecte applicatam ostendit, nos compellit, ut conclusionem tantum tradamus. Matrimonium est remedium concupiscentiae primarie per gratiam sacramentalem, secundarie per honestum usum matrimonii. « Qui usus est remedium in quo duo ad speciem contraria concinne uniuertur, dum concupiscentia expletur simul et continetur per usum ratione et voluntate ordinatum. Utrumque cooperatur in bonum scil. repressionem concupiscentiae; non autem explendo reprimeretur nisi simul contineretur, nec in multis continentia esset efficax, nisi esset continentia in explendo. Tali connexione usus matrimonii facilius, simul autem efficax, medium exsistit servandi castitatem christianam. Unde matrimonium aptissime "remedium infirmita-

(32) *Het huwelijk als remedium concupiscentiae*: Ned. Kath. Stemmen 30 (1930) 326-338, 353-364.

tis" a Sancto Augustino nuncupatur, remedium parcens infirmati quo efficacius illi medeatur » (33).

Legenti omnem hanc dissertationem patet eum, quamvis alibi forte paulo severius iudicet de sensualitate in matrimonio exercita, via media inter implexas sive laxiores sive rigidiores sententias processisse.

In disputationibus de « continentia periodica » quam vocant, quam inde ab anno 1930 cl. J.N.J. Smulders, innitens inventis Knaus et Ogino, in Hollandia expoliebat et perulgabat, Pater Buijs magnam partem habuit (34). Methodum hanc, multis cum aliis, de se indifferentem putavit. Acute edicit illicitatem intrinsecam admittere tantum posse eum, qui matrimonio iunctos ad procreationem obligari opinatur. Talem autem obligationem ipse negavit, quia e natura matrimonii ipsiusque actus coniugalis nullum officium nisi talem actum modo naturae consentaneo exercendi deduci posse, tuitus est (35).

Ingenium eius pastorale non satis habuit, haec theoretice determinasse, sed magnopere institut tam in scriptis clero destinatis quam praecipue in iis quae pro laicis composit, eos, qui sine ratione sufficiente talem modum vivendi in matrimonio assumunt, deficere a perfecta ratione connubii christiani. Non solum quia eorum rationes motivae vix honestae esse possunt, sed etiam quia deficiunt a generosa expletione vocationis e Providentia divina iis concorditae, a plena et ferventi vita coniugali christiana. Qui enim, ratione habita prudentiae et continentiae, numerosam prolem pro saeculo et pro coelo generant et educant, sublime munus exsequuntur, quod vitam coniugalem illustrat et nobilitat, dignitatem christianam tuetur et divinae gratiae pignus exsistit. Qui vero «volutatibus sine oneribus» fruuntur, non necessario eo ipso peccant, talia quaerentes autem certo sibi vitam christianam non exaedificant (36).

Ulterius autem in hisce progreditur Summus Pontifex Pius XII in allocutione die 29 octobris anni 1951 ad obstetrices italicas

(33) *Ibid.* 358-359.

(34) Scripsit de continentia periodica scientifice in *Ned. Kath. Stemmen* 31 (1931) 41-59; *R.K. Artsenblad* 11 (1932) 245-257, 307-312; *Ned. Kath. Stemmen* 33 (1933) 147-157, 176-184 et 34 (1934) 26-31, 43-54, 184-186; 35 (1935) 181-187; 36 (1936) 378-380; modo altiori vulgarisationi convenienti in *Moederschapszorg* 11 (1934) 18-22, 42-47, 109-115, 161-171, 200-201; iterum paucis mutatis idem edidit in: *Priester, dokter en leek over periodieke onthouding [Quid dicant sacerdos, medicus, laicus de continentia periodica]*, Nijmegen-Utrecht 1935, 28-52.

(35) Cfr *Ned. Kath. Stemmen* 31 (1931) 50; 33 (1933) 156-157, 179-182; 34 (1934) 49.

(36) Cfr *Ned. Kath. Stemmen* 31 (1931) 46-48, 55-56; 34 (1934) 27-28; 36 (1936) 379. *Moederschapszorg* 11 (1934) 44-47, 109-110 et passim.

habita, dicens: « Contractus matrimonialis, qui ius coniugibus confert obsequendi propensionem naturae, eos in genere quodam vitae collocat, quod est coniugium. Atqui natura Creatorque ipse iubent (impongo) coniuges qui matrimonio utuntur per actum status illius proprium, humani generis conservationi prospicere. Hoc est ministerium proprium (la prestazione caratteristica), in quo coniugii praestantia, id est "bonum proliis" ponitur. Singuli homines et societas, populus et respublica, Ecclesia denique ipsa, ex divino consilio, tantum ex secundo matrimonio quoad suam existentiam pendent. Contrahere igitur matrimonium, constanter uti facultate illius propria in eoque tantum licita, et tamen semper et consulto, nullaque causa gravi, primarium suum officium (dovere) defugere, idem est atque peccare contra coniugalis vitae naturam (sarebbe un peccare contro il senso stesso della vita coniugale) » (37).

Nimis acute forse P. Buijs aliquando ratiocinatus est in hac quaestione; demonstrat autem in iis quae hac de re scripsit, vitae christianaee integritatem et perfectionem sibi cordi esse, quin peccatum dicat, quod tale demonstrari non posse putavit.

Notare tandem liceat eum anno 1940 theoriam Heriberti Doms, de finibus matrimonii lance philosophica et theologica ponderavisse et minoris aequo ponderis invenisse (38).

Pater Buijs satis multa scripsit de iure et iustitia, in quibus, ut supra innuimus, tam oeconomiae hodiernae quam conditionum socialium nostri temporis rationem iniit. Quaestiones tractatae semper vitam actualem attingebant, plerumque e praxi curae pastoralis vel negotiorum ei propositae fuerant. In his autem solvendis non satis habuit, eas ad apicem juris et iustitiae definivisse, sed aequitatis et caritatis obligationes ultro addere solebat.

Initium harum quaestionum fecit scribendo de salario familiali, ostendens salarium familiale absolutum, quod dicunt, non fundari directe in exigentiis iustitiae commutativaee naturalibus. Afferre enim non possumus, ipsum ius naturale quibusdam hominibus laborem ut medium unicum rerum ad vitam necessariarum acquirendarum attribuisse. Ubi regimen societatis inuestum est, quo aliqua civium pars alium fontem redditum nisi labore suum

(37) Versio latina e *Periodicis de re morali* 40(1951) 370-371 desumpta est. Summus pontifex se iungit opinioni a W. Rauch expositae in editione altera operis: *Das Gesetz Gottes in der Ehe*, Mainz 1935.

(38) *Een nieuwe theorie over de doeleinden van huwelijk en geslachtsleven [De nova quadam de finibus matrimonii et vitae sexualis theoria]*: *Ned. Kath. Stemmen* 40(1940) 172-187; cfr *AAS* 36(1944) 103.

non habeat, illudque propter bonum commune servari debere videatur, complementum iuris requiritur, quo labori eorum ius in necessaria vitae adnectatur. Unde salarium familiale est debitum iustitiae commutativa, quod a iustitia legali imponitur. Quid autem in salarii contractu sit aequale, non tantum ex qualitate et quantitate laboris oeconomice consideratis, sed etiam ex iustitiae legalis et distributivae exigentiis definiendum est (39).

Similiter in quaestione *De solutionibus faciendis vi contractus eo tempore quo maior vel minor erat pecuniae valor*, in determinando « aequali » debito introducit inventa oeconomiae socialis recentioris et insistit in postulata boni communis et iura societatis civilis, cui cura boni communis incumbit (40). In solvendo quoque casu practico anno 1933 proposito de errore in publica venditione fortiter tuetur iura societatis civilis definiendi de negotiis oeconomicis ob bonum commune (41).

Nullo modo tamen res decernit ex mera iustitia, sed obligaciones aequitatis et caritatis, quae vitam moralem christianam moderentur oportet, numquam omittit. Videas casum allegatum de errore in publica venditione, aliosque de iusto salario iuvenis operarii (42), de pecunia pro victu tectoque parentibus soluta a filiis extra domum paternam proprio nomine laborantibus (43), de cessione haereditatis ab ingredientibus in religionem (44), de ancillis familialibus (45).

Ubicumque autem periculum adesse putavit, ut mores christiani in materia iustitiae debilitarentur, vel ut agentes ad iniustitiam dilaberentur, strictam potius doctrinam tuitus est, uti patet legenti solutiones casuum de fraude in percipiendo subsidio opere coacte vacantibus concesso (46), de sponsione (47), de usu pecuniae contractu depositi habitae (48). Similiter sub finem belli recentis liberata patria neerlandica, stricte solvit quaestiones de s.d. pe-

(39) *Ned. Kath. Stemmen* 29(1929) 345-349.

(40) *Acta congressus lectorum CSSR de re morali-oeconomica in collegio Wittemiensis diebus 4, 5, 6 augusti 1932 [habiti]*, Wittemii 1933 (cyclostilo impressum), 6 pp.

(41) *Dwaling bij publieken verkoop*: *Ned. Kath. Stemmen* 33(1933) 55-64.

(42) *Rechtvaardig arbeidsloon*: *Ned. Kath. Stemmen* 37(1937) 183-186.

(43) *Kostgeld betalen door inwonende kinderen*: *Ned. Kath. Stemmen* 37(1937) 356-359.

(44) *Afstand doen van zijn erfdeel voor men naar het klooster gaat*: *Ned. Kath. Stemmen* 39(1939) 274-281.

(45) *Dienstboden*: *Kath. Encyclopedie* IX(1935) 17-18.

(46) *Fraude bij werkloozensteun*: *Ned. Kath. Stemmen* 37(1937) 323-325, 392-394, cuius casus solutio a multis aequo severior habita est.

(47) *Borgtocht: ontduiken van betaalplicht*: *Ned. Kath. Stemmen* 36(1936) 26-30.

(48) *Gebruik van gelden die men in bewaring heeft*: *Ned. Kath. Stemmen* 39(1939) 196-200.

cunia atra, i.e. durante bello modis saltem dubie iustis acquisita, de emptione et venditione pretio suspecto, de bonis a militibus di-reptione acquisitis aliisque dono vel emptioni oblatis (49).

In Encyclopaedia Catholica nervose et acute principia moralia negotiationis et commercii exposuit (50). Non sufficere principia ethicae individualis, sed etiam, immo principalius, ethicae socialis consideranda esse efficit. Quibus breviter explicatis, insistit in rectam mentem ac honestum propositum in agendis negotiis. Sicut enim ex lucri quaestu immoderato ingentia mala societatis hodiernae orta sunt, ita ex bono fine operantis negotiatorum paulatim instituta renovabuntur, mercatus bono communi inserviet, negotiatio ad finem vitae christianaे ordinabitur. Casuisticae huius provinciae, quae propter intricatam commercii hodierni compaginem difficillima est, efformandae cooperatus est exarando complures relationes rogatu « Consilii catholici pro mercatu » (R.K. Raad voor den Handel), quibus specialia problemata illustrantur. Inter quas notanda est scriptio, qua saeviente bello civili in Hispania (anno 1938) fuse et clare diiudicat liceitatem subvehendi merces partibus bellum gerentibus, et in specie parti communistae. Haec enim quaestio nonnullis catholicis fabricandi officinarum dominis intererat (51).

Acutam de mendacio discussionem, cuius medulla in « Chronica theologiae moralis » anni 1939 edita est (52), memorasse sufficiat.

Quaedam pauca tandem adiiciamus ex iis quae Pater Buijs de sacramentis disputavit. Ut supra indicavimus, magni ponderis aestimavit opus operantis, seu dispositiones subiecti, in sacramentis suscipiendis. Quod praesertim elucet ex scriptis de Confessione ex devotione peracta anno 1938 edita (53), quibus ne verbum quidem mutandum esset post promulgatas Encyclicas *Mystici Corporis Christi* (1943) et *Mediator Dei et hominum* (1947).

Libenter agnoscens difficultates moveri posse adversus praxin hodiernam Confessionis frequentis ex devotione peractae, admittit eam iustificari non posse ex eo quod talis Confessio valida sit, peccata venialia remittat, gratiam sanctificantem augeat. Multa

(49) *Zwart geld; zwarte handel: Mededelingen* 1(1944) 6-8; *Koopen of als geschenk aannemen van ontvreemde goederen: Mededelingen* 2(1945) 35-39.

(50) *Handelsmoraal: Kath. Encyclopedie* XII(1935) 700-702; *Oneerlijke concurrentie: Ibid. XIX(1937) 69-70; Prijs (rechtvaardige prijs): Ibid. XX(1937) 259-260.*

(51) *Levering van goederen aan oorlogvoerende partijen: Economie* 3(1937-38) 417-427.

(52) *Ned. Kath. Stemmen* 39(1939) 167-172.

(53) *De devotiebleecht. Theologica et pastoralia: Ned. Kath. Stemmen* 38(1938) 193-203, 234-244, 295-311.

enim alia media sunt remittendi venialia et augendi gratiam habitualis. Agitur ergo de indole propria sacramenti Poenitentiae et quaeritur quare hoc sacramentum inter numerosa media, quibus a peccatis venialibus purgamur, locum quemdam principem occupet. Compendio rationes ab eo prolatas tradamus: a parte sacramenti Poenitentiae reperitur in eo quod gratia eius propria est remissiva et sanativa peccati, qua efficacissime purgamur a peccato eiusque sequelis; a parte vero hominis in eo est quod susceptio sacramenti est actus eximus et validissimus virtutis poenitentiae, quo passioni Christi coniungimur. Frequentia autem talis Confessionis utilis ostenditur, quia spiritum compunctionis et poenitentiae, qui inter praecipuas vitae christianaee animi dispositiones recensendus est, servat et auget, et quia facilem occasionem praestat directio- nis spiritualis. Monet autem, ut Confessio ex devotione peragenda non a desiderio animum levandi vel a timiditate et scrupulis prove- niat, sed a voluntate Deo satisfaciendi, animam purificandi, vitia efficacius impugnandi. Citat S. Alphonsum dicentem « quod aliquando longe fructuosius est pro quibusdam animabus timoratis, disponere se ad Communionem actibus suis, quam cum ipsa Confes- sione. Et multoties accedit, quod tunc anima se disponit actibus ferventioribus contritionis, confidentiae et humilitatis » (54).

Quemadmodum inde ab anno 1929 semper quocumque facere potuit manus eius, instanter operatus est, sic et ultimis annis ante bellum et eo perdurante, quaestiones agere coepit, quae gesta factionis nationalis socialistae neerlandicae et occupantium Germanorum, simili spiritu animatorum, posuerant.

Aliquando fortasse ex tabulariis curiarum episcopalium eruenter relationes et litterae quibus his annis archiepiscopo Ultraiectensi, Excellentissimo (postea Eminentissimo) Domino Joanni de Jong, aliisque episcopis consiliatus est. Nos breviter tantum referimus eum anno 1936 « normas practicas » clero ministravisse pro exsequenda episcoporum damnatione factionis nationalis socialistae neerlandicae modo optime temperato et exakte rationibus ab episcopis allegatis fundato (55). Item anno 1941 iura Ecclesiae ori- ginaria in exercitium caritatis, cum gubernium civile, ab occu- pantibus institutum, omnia subsidia gentibus a se solo praestari vellet, vindicavit (56). Etiam post bellum cum acriter de politica

(54) *Praxis confessarii*, ed. E. BLANC, Romae 1912, n. 148.

(55) *De veroordeeling der N.S.B.; praktische richtlijnen*: Ned. Kath. Stemmen 36 (1936) 200-209.

(56) *Kerk en Caritas* [Ecclesia et Caritas]: Ned. Kath. Stemmen 41(1941-45) 33-40.

catholicorum unitate disputabatur, explicavit in tali « re (in patria nostra certo) mixta » pastores animarum fideles sibi commissos docere debere de momento unitatis catholicorum in vita politica, omnesque fideles « in his quae ad prudentiam pertinent ab aliis erudiri oportere », qui in tali materia inter catholicos experti sunt (57). Quam scriptionem aegre tulerunt quidam catholici, qui intimiori cum factione socialista collaborationi favebant. Eum recte monuisse rerum eventus monstravit.

Cum anno sequenti (1947) Rector Maior Congregationis SS.mi Redemptoris electus fuisse, mox mentem apostolicam et pastoralem, quam in colenda theologia morali exercuerat, in definienda et initianda Academia Alfonsiana eximie ostendit. Rationem fundandi Institutum Superius ad promovenda studia moralia sic enunciavit: « adlaborandi scil. creandae novae theologiae morali, nostris temporibus immensisque necessitatibus sacerdotum cura animarum occupatorum accommodatae ». Quare « intendimus excollere, utique "in spiritu et virtute S. Alfonsi" universam theologiam moralem catholicam, et talem quidem ut hodierno statui huius disciplinae respondeat et pro viribus solvat etiam recentissima problemata nostrae aetatis ». Additque: « Sed bene notetur terminus "studia moralia"; late enim patet et universam de vita christiana doctrinam comprehendit, ergo etiam studium theologiae pastoralis et spiritualis (asceticae et mysticae) » (58). Propterea Academiam Alfonsianam voluit Institutum genuinae scientiae theologicae moralis excolendae destinatum, inde tamen pastorali et apostolica praeditum, sicut S. Alfonsus in epistola nuncupatoria ad Benedictum XIV Pontificem Maximum ait: « Cum enim fuisse Dei beneficio vocatus ad missionum ministerium pro adiuvandis populis per rura dispersis, iisque potissimum, qui spirituallibus magis destituuntur auxiliis, visa mihi ad hoc fuit necessaria scientia plus quam mediocris rerum moralium, quae tum ad instruendas tum ad regendas animas esset accommodata » (59). Nullam aliam fuisse mentem Reverendissimi Patris Buijs in instituenda Academia Alfonsiana, e modo quo theologiae morali semper studuit colligere licet, idemque eius verba satis superque stantur.

(57) *Zielzorg en politiek* [Cura animarum et actio politica]: *Ned. Kath. Stemmen* 42(1946) 50-63 (cfr *Summa Theologica* II-II 49, 3).

(58) Oratio inauguralis cursus scholastici Academiae Alfonsianae die 21 oct. 1951 habita: *Analecta CSSR* 23(1951) 152.

(59) *Theologia moralis* ed. GAUDÉ I, Romae 1905, p. LII.

III. - PATER BUIJS PASTOR ANIMARUM IMBUTUS SACRA DOC-
TRINA.

Inde ab anno 1933 quo theologiam pastoralem docere coepit, Leonardus Buijs quaestionibus de natura huius doctrinae, de fundamentis theologicis curae animarum eiusque structurae, de exigentiis curae pastoralis nostris temporibus accommodatae incubuit. Pastorem animarum « architectonice » egit inde ab anno 1936, quo partem in moderando commentario clero destinato *Nederlandse Katholieke Stemmen* suscepit, cuius titulo anno sequenti ipso suggestente additum fuit : « commentarium mensile theologicum et pastorale ».

Theologiam pastoralem intellexit partem quandam practicam theologiae tractantem de principiis, normis et indicis, secundum quae munera officii curae animarum recte perficiuntur. Ipsa notum esse supponit e theologia dogmatica et morali et ex iure canonico, quid sit cura animarum quaeque eius munera; docet vero modum quo munus pastorale exercendum est (60).

Satis autem non est hunc modum eruere e collecta maiorum experientia, ex qua consilia et monita usui pastorum salutaria proferantur. Rerum enim mutationes recentioris aetatis in vita tam religiosa quam profana introductae requirunt, ut methodi pastorum iterum reputentur, ne hodierna hominum generatio extra ambitum operis pastoralis maneat. Ad hunc finem duo requiruntur, ut scil. theologus pastoralis indolem, conditiones, studia hominum nostri temporis intime recognoscat, simul autem ut naturam officii pastoralis exactius scrutetur. « Cura enim animarum non est paedagogia quaedam humana, sed est ministerium essentialiter altioris ordinis. Ipsa est continuatio operis Redemptionis Christi, distributio bonorum salutarium a Deo per Christum nobis collatorum, evangelii salutis, gratiae reconciliationis, sanctificationis. Unde qui curam pastoralem exercet, non humanum quoddam officium tuetur, sed opus ministerii pertinens ad oeconomiam divinam, quod nonnisi in virtute Spiritus Sancti et principaliter ad normam paedagogiae divinae manifestatae in oeconomia gratiae et Ecclesiae exsequi possumus » (61). Propterea, etsi inventa

(60) Cursus prelo manuali multiplicatus et discipulis distributus capita selecta theologiae pastoralis continet, quae iuris publici non sunt. Conceptiones fundamentales breviter explicavit in *De Katholieke Encyclopedie* sub vocibus : *Pastoraltheologie* (XIX, 1937, 524-525) et *Zielzorg* [Cura animarum] (XXIV, 1938, 588-589). De variis subiectis ad theologiam pastoralem generalem pertinentibus scripsit in *Chronicis theologiae pastoralis* : *Ned. Kath. Stemmen* 37(1937) 142-153; 41(1941-45) 210-215; 42(1946) 14-22.

(61) *Liturgie en zielzorg* [Liturgia et cura animarum] : *Verslagboek van het internationaal liturgisch Congres te Maastricht 1946* (cfr supra nota 15) 118-119.

scientiarum psychologiae, paedagogiae, sociologiae cet. diligenter investiganda sint, sunt tamen lumine scientiae altioris theologiae diiudicanda, quo apta instrumenta operis salutis evadant.

E multis quae de theologia pastorali disseruit, ea praecipue seligemus quae ostendunt Patrem Buijs exigentias pastorales ho- diernas ac media quibus cura animarum nostris diebus uti debet, theologico intuitu considerasse, eaque ad tria capita reducemos: de liturgia pastorali, de praedicatione, de munere laicorum in Ecclesia.

I. - Inter tria munera Ecclesiae, triplex Christi munus con- tinuantia, quae distribuunt dona salutis: veritatem, gratiam, moderationem vitae, primum et praecipuum est munus sacerdotalis (62). Quapropter centrum totius curae pastoralis est ministerium cultus ope sacrificii et sacramentorum et precum publicarum exercendum. Fidelibus vero actuose participare sacrificio Missae, sacramentis, precibus publicis, est « primus et necessarius fons spiritus christiani » (63). Inde deducit essentialē structuram to- tius curae pastoralis a ministerio sacerdotali definiri. Doctrinae praedicatio, ductus et disciplina regiminis continuare debent mi- nisteria liturgica atque eorum compositioni aptari. Quare etiam conveniens est, ut qui curam animarum habet sacerdos sit, qui ex- tensione fit doctor et pastor.

Item ex supra dictis deducit pastoribus animarum praecipue insistendum esse, ut fideles religioso cultui participant. Ne tamen obliviscantur in sacrificio Missae et sacramentis iuxta opus ope- ratum etiam opus operantis magni esse ponderis. Ope participa- tionis in fide et caritate peractae mysteria cultus fructum sanctificationis producunt, isque fructus nonnisi recte factis ad perfec- tionem pervenit (64).

Quare contineri nequit cura animarum ministratiōne liturgi- ca, sed praedicatione, quae fidem proponit, praeparativa et regi- mine, quod fidelibus ducatum praestat eosque in sanctis operibus fecundos reddere intendit, consummativo circumdari debet.

Notat autem auctor noster, doctrinam et regimen essentiali- ter quidem semper et ubique cultui subesse, eorum tamen in in- dustria pastorali partes magnopere a conditionibus temporum et locorum pendere. Nostris certo diebus ministerium cultus mul-

(62) Rationem huius asserti videoas supra p. 435-436: Christianismus est religio, quae habet doctrinam et morum disciplinam.

(63) PIUS PP. X, *Motu proprio de restauratione musicae sacrae*, 22 nov. 1903.

(64) Cfr Chronica theologiae pastoralis: *Ned. Kath. Stemmen* 37(1937) 145-147.

tis curae animarum directae et indirectae operibus circumdetur oportet.

Ex his quae compendio retulimus patet, scrutatione theologica omnes, quas hodierna cura pastoralis expostulat, actiones suis locis convenienter compagini operis salutaris Ecclesiae inseri posse.

2. - Post liturgiam vere pastoralem locum vix minorem tribuit ministerio verbi. Inde ab anno 1937 iterum atque iterum insistit in opus praedicationis. Ignorantiam religiosam causam praecipuam indicat vitae religiosae tenuis atque sterilis multorum fidelium. Quae ignorantia nonnisi praedicatione pastorum levare potest, nostra praesertim aetate, qua multi fideles nec a familia nec a convictus indole christiana veritatibus fidei imbuuntur. Ubi fides languescit, ministerio verbi tantum, quod « omnium officiorum (sacerdotalium) primum et maximum » recte nuncupatur (65), instaurari potest, cuius vices supplere nequeunt nec frequentia sacramentorum nec participatio liturgiae (66). Nam praedicatio verbi a Christo instituta est distinctum ac speciale officium, cui propria et incommunicabilis efficacia competit, quia « fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi » (Rom. 10, 17). Explicat P. Buijs quomodo ministerium verbi exerceatur ope institutionis catecheticae tam puerorum quam adolescentium usque ad 17^{um} vel 18^{um} annum (67), ope instructionum modo apto in sodalitiis iuventutis impertitarum (68), ope instructionis ante-matrimonialis, ope instructionis catecheticae dominicalis et homeliarum, ope sermonum familiarium in piis sodalitatibus habitorum, ope institutionis theologicae laicorum moderantium Actionis Catholicae. Eodem modo cum postulata curae animarum conditionibus postbellicis accommodatae adumbravit, vehementer hortatur pastores, ut rationem de ministerio verbi Dei reddendam maximi momenti habeant (69).

Nil mirum Patrem Buijs ministerium praedicationis sodalium

(65) S. CONGREG. DE SEM., *Epistola de catech. discipl.* 8 sept. 1926. AAS 18(1926) 453.

(66) *Fides ex auditu*: Ned. Kath. Stemmen 40(1940) 257-264. Unde multum ei placebat c. 94 C. I q. 1 *Decreti Gratiani* et commentarium S. BERNARDINI SENENSIS in hunc textum, quod reperies in *Quadragesimalis de Evangelio aeterno, sermone X (De observantia Sabbathi)*, art. IV, cap. IV. *Opera omnia II*, Venetiis 1745, 61.

(67) Quae P. Buijs proposuit partim ad effectum deducta sunt cursibus lectionum catechetarum, qui pro iis, qui annum duodecimesimum agunt, in compluribus dioecesibus neerlandicis instituti sunt.

(68) Cfr Ned. Kath. Stemmen 41(1941-45) 179-182.

(69) Cfr Ned. Kath. Stemmen 42(1946) 19; *De praktijk van biechten en biechthoren* (cfr supra nota 19) 21-22.

Redemptorianorum, sacras nempe quas vocant Missiones (can. 1349 § 1) et Exercitia spiritualia, diligent cura prosecutum esse. In « Chronicis theologiae pastoralis » pondus et locum operis missionum in contextu totius curae pastoralis declarat, et bello finito hortatur parochos ut hoc medio a Codice Iuris Canonici praescripto utantur, quo religiosa gravitas et morum emendatio redintegrentur (70). Ipsius tamen erat theologica fundamenta huius operis scrutari, quo essentialia ab accidentibus, id quod est perenne ab iis quae cuidam aetati propria sunt, discernantur et renovatio nostris temporibus accommodata praeparetur. In suis « Glossis theologicis ad notionem et ad systema missionis » (71) ut finem proprium operis praedicationis et moderationis animarum in missione peragendi universalem et fundamentalem renovationem vitae christiana determinat. Quaeritur autem quare sacra missio omnibus paroecianis tam peccatoribus quam tepidis quam probis convenire possit. Respondet quia conversio e peccato ad vitam christianam et renovatio radicum vitae christiana eodem modo perficiuntur. Nisus doctrinae Concilii Tridentini (72) ostendit, easdem rationes motivas, quae animam a peccato ad iustitiam amplectendam impulerunt, eam in iustitia conservare et ad novum fervorem incitare. Unde uno eodemque opere praedicationis, quod ex radice fidei per viam timoris Dei et poenitentiae dilectionem Dei confirmare satagit, omnibus christifidelibus opportunitas renovationis vitae christiana offertur. Quod ut ordine rationeque fiat, ex accurata analysi radicum vitae christiana, purgationis scilicet a peccato eiusque consectariis et sequelae Christi in iustitia et sanctitate suscipienda profectus, summa lineamenta systematis missionis describit, quod homileticis accuratius definiendum relinquit. Dolet tandem hodie in multis regionibus « vitam devotam », quae tempore S. Alfonsi missionis fastigium erat, parcissime tractari. Quod eo magis lugendum est, quia sat multi fideles hodierni vitam perfectiorem et apostolatu fecundam aspirant.

Simili modo Exercitia spiritualia S. Ignatii theologicice illustravit scripto discipulis distributo non tamen edito (73), quibus adiunxit studia de methodis S. Francisci Salesii et S. Alfonsi, ut ii qui tradituri erant exercitia, finem rationemque eorum clare agnoscentes ea recte adaptarent iis qui exercentur.

(70) Cfr *Ned. Kath. Stemmen* 37(1937) 152, 39(1939) 316; *De praktijk van biechten en biechthoren* (cfr supra nota 19) 18-19.

(71) *Ministerium Verbi* V(1943-44) 9-28, 120-131. Cfr *Ned. Kath. Stemmen* 40(1940) 170-172.

(72) *Conc. Trid. Sess. VI et XIV.*

(73) *De « Geestelijke Oefeningen »*, pp. 27.

Quae annis, quibus munere professoris functus est, studio theologico investigavit, principia fuerunt, quae Superior generalis missionalibus dirigendis applicavit (74). Quia persuassimum habebat, opus missionale primarie ad ministerium verbi pertinere, quo fides et poenitentia annuntiatur et corda ad Dominum convertuntur, omni diligentia curavit ne alia, quantumvis hodie necessaria, praedicationi preferrentur.

3. - Tertium problema pastorale, cui continue vacavit, est de loco et munere laicorum in Ecclesia. Quo die partem in moderando commentario theologico et pastorali suscepit (1936), apostolatus laicorum et Actionis Catholicae naturam et leges ad mentem Summi Pontificis Pii XI indagare exorsus est. Anno 1937 Commentarium *Nederlandse Katholieke Stemmen* seriem scriptionum de hac materia a maxime peritis compositarum, inter quos S. Tromp SI, W. Koenraadt, F. Frencken, W. Mulder, alii, vulgavit. Ipse Leonardus Buijs habitudinem inter Actionem Catholicam et pia sodalitia cum tertiiis ordinibus (75) delineavit, perhibens hisce ordinibus et sodalitiis locum « centri spiritualis » assignandum esse, quia ipsa laicos ad perfectionem christianam conducere intendunt. Quod etsi re effectum non fuerit, adiuvit tamen haec scriptio horum sodalitiorum redditum ad priscam indolem et adaptatam nostrae aetati renovationem.

Non tantum Actionem Catholicam, sed etiam alios modos co-operationis laicorum ad curam animarum promovit. Itinere suscep-to, comite altero commentarii moderatore, curias rebus pastoralibus dirigendis institutas (Seelsorgeamt) quorundam dioecesum Germaniae et Austriae visitavit et apostolatus liturgici popularis in Klosterneuburg (prope Vindobonam) methodos agnovit. Scriptum de « sorore paroeciali » (76), quam nomine « assistentis socialis paroecialis » hodie in multis paroeciis neerlandicis reperire licet, primus huius itineris fructus exstitit, cui in posterioribus scriptis alii accessere.

Quaesivit autem strenue quibus fundamentis theologicis cooperatio laicorum cum clero inniteretur. Cum suas hac de re conceptiones saeviente bello coram quibusdam laicis doctrina praestantibus exposuisset, assistens ecclesiasticus unionis iuvenum Actio-

(74) Cfr *Spicilegium historicum CSSR* 1(1953) 22-23: Congressus circa apostolatum nostrum specificum.

(75) *Katholieke Actie en godsdiestige vereenigingen: Ned. Kath. Stemmen* 37(1937) 32-40.

(76) *Ambtelijke lekenhulp in de parochiele zielzorg [De laicis ex officio adiuvantibus in cura animarum paroeciali]: Ned. Kath. Stemmen* 37(1937) 369-382.

nis Catholicae, qui aderat, ab eo petiit ut eas fusius explicatas publici juris faceret. Quod fecit adiuvante huius scripti auctore.

Scriptionem suam sine nomine per partes edidit anno 1944 in commentario mensili *Actionis Catholicae* dioeceseos Harlemensis. Quam post liberatam patriam revisam et auctam in forma libelli iterum evulgavit (77). Quam die 13 januarii anni 1947 Ordinarius Harlemensis « manuale Actionis Catholicae » suae dioeceseos declaravit (78). Ne longi fiamus in materia theologica hodie communi, omittimus quae de Corpore Mysticō, de Baptismo et Confirmatione (79), de caritate tamquam fundamentis apostolatus laicorum disserit. Duas tantum opiniones notatas volumus. Primam de conditione laicorum in Ecclesia. Quamquam, ita ait, conditio iuridica laicorum in Ecclesia non est mutata, quippe quae a Christi institutione pendeat (C.I.C. can. 948), tamen conditio eius socialis fit alia, maiorem partem accipit in executione munieris Ecclesiae impositi. Esse laicum iam non est « non esse clericum », sed munus quoddam dicit in societate ecclesiastica explendum. Unde laicatus altiore dignitatem et ampliorem locum in vita et operibus Ecclesiae obtinet. Quod amplius munus in apertiore participatione vitae liturgicae ac in validiore cooperatione in opere apostolatus manifestatur (80).

Altera opinio eius notatu digna videtur de propria provincia *Actionis Catholicae*, quam dicit esse vitam profanam, in qua laici mediis, quae iis in promptu sunt, i.e. doctrina et moderamine modo laicis proprio exsequendis, Regno Christi et eo ipso iuribus conscientiae et Ecclesiae auctoritatem comparent oportet. Adiutorium vero a laicis clero praestitum in cura pastorali nonnisi secundario ad provinciam *Actionis Catholicae* pertinet. Tale auxilium ab eis peti potest, immo ab episcopo iis assignari potest. Saepius opera laicorum in hac provincia de facto est omnino necessaria. Non tamen est munus natura sua primarium *Actionis Catholicae* (81).

Haec allegasse sufficiat, ut ostendamus eum notionem et na-

(77) L. BUYS-H. BOELAARS, *De Katholieke Actie*; Voorhout, Foreholte, 1946; 8°, 85.

(78) Cfr *Pinkstervuur* [Ignis pentecostalis, Commentarium mensile *Actionis Catholicae* in dioecesi Harlemensi] 2(1947) 49. Unde et assistens ecclesiasticus iuvenum Patrem Buijs « Architectum nostrae *Actionis Catholicae* » nuncupavit, *Ibid.* 193.

(79) Notatum volo, Patrem Buijs anno 1938 clare exposuisse, sacramentum Confirmationis nimis arctare, qui illud praecipue et principaliter sacramentum apostolatus christiani (*Actionis Catholicae* late sumptae) considerat. Cfr *Ned. Kath. Stemmen* 38(1938) 115-120.

(80) Cfr *De Katholieke Actie* (cfr supra nota 76) 10-11.

(81) *Ibid.* 29-34.

turam apostolatus laicorum et Actionis Catholicae acute definisse; eos qui argumenta eius cognoscere desiderant ad ipsum opusculum remittentes.

Persuasum ei erat verum laicorum apostolatum nonnisi ex altiore vita christiana religiosa et morali oriri posse. Propterea annis 1946-1947 circulum quendam sacerdotum et laicorum efformavit, qui ascesin laicorum conatibus collatis scrutarentur. Consultationis huius fructus anno 1948 in commentario *Nederlandse Katholieke Stemmen* evulgati sunt, inter quos scriptum: An existat vita spiritualis propria laicorum?, ab ipso revisum, eius nomine publici iuris factum est (82). Duo alia scil.: Lineamenta quaedam praecipua asceseos laicorum, et: De professione artis vel munieris christiana (83), ex adnotationibus ab eo conscriptis magna ex parte composita sunt. Ea etiam, quae anno 1949 in eodem commentario de directione spirituali laicis tradenda fuerunt evulgata, eius partim consiliis et hortatui accepta referenda sunt (84).

Ex dictis in tribus capitibus de liturgia pastorali, de praedicatione et de munere laicorum in Ecclesia, clarere non dubitamus Patrem Buijs tempora et momenta acute animadvertisse eaque lumine theologiae illustrasse. Idem pateret, si de iis quae dixit de communitate paroeciali viva, de tegendis sed non obsepiendis fidelibus, de defectione multorum, de quietismo quo tempore Socialismus nationalis omnem operam socialem praecludebat, de revisione modorum colligendi pecuniam sustentationi ecclesiarum et cleri necessariam, cet. (85), referre possemus. Sed dicta satis assertum nostrum de Leonardo Buijs, pastore animarum modo architectonico, imbuto sacra doctrina, confirmare videntur.

Quam exigebat a pastoribus animarum sanctitatem vitae, intelligentiam nostrae aetatis, studium theologiae, vigilantiam et laborem improbum (86), ipse prius exercebat. Continuo lectioni

(82) *Kunnen we spreken van lekenspiritualiteit?* : Ned. Kath. Stemmen 44(1948) 210-220.

(83) *Enige grondlijnen van een lekenascese, et Christelijk beroepsleven.*: Ned. Kath. Stemmen 44(1948) 225-236 et 325-336.

(84) Similiter series scriptionum agentium de familia anno 1941 a peritis compositorum et in eodem commentario editarum ab eo adumbrata fuit.

(85) Cfr Ned. Kath. Stemmen passim, praesertim 39(1939) 315-316; 40(1940) 193-196; 41(1941/45) 229-241; 42(1946) 14-22 et *De praktijk van biechten en biechthoren* (cfr supra nota 19) 5-23.

(86) Cfr Ned. Kath. Stemmen 39(1939) 77; 40(1940) 193; ut studia theologica et pastoralia inter sacerdotes promoveret (praeter ea quae egit ipse ope commentarii *Ned. Kath. Stemmen*), congressus horum studiorum utilissimos habuit ac in iis saepe verba fecit, cfr *Ned. Kath. Stemmen* 37(1937) 331-335 (et 293-294); 40(1940) 18-28; *De praktijk van biechten en biechthoren* (cfr supra nota 19).

et scripturae se dabat, frequentes leves aegritudines negligens. Animum raro relaxabat, immo remissioni vix se dare poterat. Tale autem vitae genus gravibus quandoque nervorum angoribus luere debuit. Eadem quae de auctore spirituali ei apprime caro, Domno Columba Marmion dicta sunt, ei applicari possunt : « Per omnem vitam homo erit dure tentatus, tenerrimus in doloribus, ad horas defessus et quandoque modo inexpectato animo deficiens » (87). Curativa sectio in ultimo morbo peracta, aegritudinem manifestavit qua forte a nativitate laboravit et quae haud dubie magnas partes habuit in causandis animae afflictationibus eius. Voluntas tamen eius efficax, fides firma et pietas alta, ingenium acutum et versatile haec vicerunt, quoadusque Dei providentia opus eum perfecisse rata est, ad quod eum vocavit.

Pater Leonardus Buijs coram nobis astat theologus moralis et pastoralis in medio tempore mutante versatus. Quae docuit in provincia theologiae moralis magna parte hodie auctoritatem retinunt, partim ipso iuvante ulterius maturuerunt. In theologia pastorali primis ordinibus interest omnibusque pastoribus animarum etiam hodie viam sequendam indicat. Semper exemplum theologi moralis et pastoralis existit, quippe qui sciebat et opere se perspicere monstrabat, omnem actionem Ecclesiae ex eiusdem de revelatione divina sibi concredita notitia profluere eique intime coniungi. Tali enim modo ductus Spiritus Sancti, animae Corporis Christi Mystici, omnem operam omnium fidelium, membrorum Eius, tam clericorum quam laicorum, imbuit et perfundit.

(87) « Toute sa vie, il restera un être tenté, hypersensible, avec des heures de lassitude et parfois des moments de dépression assez déconcertants », M.M. PHILIPON OP., *La doctrine spirituelle de Dom Marmion*, Paris 1954, 61.